THEOLOGICAE ASSERTIONES COLLECTAE EX INTERPRETATIONE LIBRI GENESEOS, …

Andrè Des Freux

Digitized by Google

Ex libro geneſeos deductæ Theologicæ aſſertiones, atq; in publicam diſputationem propoſitæ.

1 Scripturam ſanctam multis de cauſis neceſſariam eſſe generi humano; & tum dignitate, tum certitudine longè præcellere alias omnes diſciplinas.

2 Librum Geneſeos omnium, qui extant, librorum antiquiſſimum, diuinitus reuelatum, et à Moſe ſcriptum eſſe id'q; multis etiam indicijs cognoſci poſſe.

3 Fidem mundanæ creationis veræ philoſophiæ naturali conſonare prorſus, nedum ne a repugnare.

4 Mundum creatum eſſe à deo in principio temporis, non ab æterno vel factum, vel non factum emanare.

5 In primo temporis momento ex nihilo factam eſſe materiam primam, duntaxat generali quadam forma, ſpeciales ſecum admittente, vtcumq; ſuſtentatam.

6 Ex materia eadem prima cœlum, Elementa, & corpora mixta partim propria, & partim angelica operatione cum temporis progreſſu extitiſſe.

7 Angelos cum ſuo æuo non ante corpoream naturam creatos eſſe, vt ſapientiſſimis Theologis placet, & ſi aliud facilè defendi poſſit.

8 Solem eum orbibus cunctis cœleſtibus prima die formatum eſſe, ac Lucem propriè appellatum.

9 Firmamenti ſecundo die facti nomine ætherem, ideſt, aeris & ignis ſpatium aptè ſignificari.

10 Aquas in locum vnum congregatas, & maria vocatas continuum facere vnum corpus, et, quoad maximas ſuperficiei ſuæ partes, infra littoreos margines naturalem ſitum obtinere.

11 Partes Vniuerſi prius conditas fuiſſe magis neceſſarias & alijs condendis ſeruientes, vt lucem, motum, & Angelos. Alioqui ab imperfectioribus ad perfectiores ordinem ſeruatum eſſe.

12 Plantarum, et animalium ſpecies perfectas illico fuiſſe, idq; in Vere potius, quàm Autumno.

13 Solem quarto die tam perfectionem ſuam, quàm propriam nominis ſui rationem conſecutum eſſe.

14 Sydera in ſigna quidem data eſſe, non talia tamen, vt per boroſcopi natalis rationem certas animi humani propenſiones, vel futuros caſus portendere poſſint, nedum effice

re, vt genethliaci confingunt, multóq; min us Electionibus prodeſſe, vel obeſſe.

15 Ex primi hominis productione oſtendi animam cuiuſq; hominis vnicam eſſe, immortalem, à deo creatam, ſimul & corpori proprio infuſam.

16 Imaginē dei in diuerſis hominibus partim ſimilem, partim diſſimilem valde eſſe: nec abs re à nonnullis dici, hominem totum ad imaginem dei factum eſſe.

17 Myſterium diuinæ Trinitatis ex verbis creationis quadrupliciter colligi, nec à Iudæis ratione vlla negari poſſe.

18 Creationis opus cœpiſſe die dominica, ab occaſu ſolis inchoata, & ſub feriæ ſextæ veſperam conſummatum eſſe, nec aliam vllam opinionem carere pluribus abſurdis.

19 Sabbatum iam inde fuiſſe inſtitutum, nec tamen obſeruatum nec obſeruandum ante legis conſtitutionem.

20 Sic Deum die illo ſeptimo ab omni opere quieuiſſe, vt, licet operetur ſemper, nihil tamen noui facere videatur.

21 Opera ſex dierum à deo ſic dici bona, vt fatendum ſit, mundum &, quàm optimus fieri potuerit, factum eſſe, et vnicum eſſe quod Ariſtoteles debiliſſimè probauit.

22 Paradiſum terreſtrem certum locum fuiſſe, & adhuc extare, & probabiliter in confinio Arabiæ, Meſopotamiæ, & Syriæ eſſe, licet inacceſſum.

21 Adamum extra Paradiſum creatum dici probabilius. Euam verò in Paradiſo poſt ſextum diem, nec ambos eodem eiectos die, quo formatos.

24 Arborem quidem vitæ habuiſſe naturalem vim ſuo nomini reſpondentem: alteram verò ſcientiæ boni & mali, ab euentu potius, quàm ante peccatum ſic cognominatam.

25 Iuſtitiam originalem fuiſſe donum ſupernaturale gratiæ gratis datæ, coniunctum cum dono gratiæ iuſtificantis.

26 Probabile admodum eſſe, quòd filius dei per ſe, vel per Angelum primis parentibus, aliiſq; antiquis patribus in forma humana familiariter apparebat, ad inſinuandum myſterium futuræ incarnationis.

26 Sacramentum matrimonij iam tunc inſtitutum eſſe, et ex vi verborum, fornicationē, multitudinem vxorum, Diuortium, excepta fornicationis cauſa, & eo facto coniugium ſuppoſititium prohiberi.

28 Tentationis Diabolum authorem, Serpentem organum extitiſſe: ac vtriq; aliquid pœnæ, toti generi commune, quod prius non aderat, fuiſſe inflictum.

29 Deum neq; directè, nec indirectè peccati illius extitiſſe cauſam, neq; gloriam ipſius citra illud minorem futuram fuiſſe.

30 Fœminam, ſimpliciter loquendo, grauius, quàm virum, peccaſſe.

31 Peccatum originale, ſi ad primariam peccati ſignificationem ſpectemus, aptè vocari peccatum primi parentis. Verùm ſi ad alteram ſignificationem intueamur, qua fre-

quentius vti conſueuimus, quiddam eſſe, quod ex peccato primi parentis, tanquàm ex cauſa, realiter in ſingulos filios manat.

32 Homines omnes, ſi Adam non peccaſſet, per totum orbem iucundiſſimè victuros fuiſſe: non tamen tutos ab omni peccato, nec ſine aliquo proprio cuiuſq; merito æterna gloria donandos.

33 Abſtinentiam & delectum ciborum in Eccleſia deo placere, & Euangelicam veram libertatem non imminuere, ſed augere contra Deum Lutheranorum, Ventrem.

34 Erubeſcendi cauſam potiſſimùm fuiſſe, & eſſe naturalem concupiſcentiæ homine indignæ cognitionem.

35 Tentatorem Euæ fuiſſe potius Luciferum, quàm alium dæmonem, & huc referri quod ait, Diabolum à principio eſſe homicidam.

36 Eundem ſupremum fuiſſe omnium angelorum non improbabiliter dici poſſe, ac peccaſſe, quòd dedignaretur adorare præmonſtratam Chriſti humanitatem. Chriſtū quoq; deum & hominem futurum fuiſſe, licet Adam non peccaſſet. Problematice hæc omnia diſputationis cauſa, non ſtudio nouitatis.

37 Inter mulieris pœnas non poni multiplicandos partus, ſed dolores partuum, eoſq; eſſe naturales.

38 Virum in vxorem etiam ante peccatum, peculiare dominium habuiſſe, ſed alterum poſtea, medium quodammodo inter paternum atq; deſpoticum acceſſiſſe.

39 Dominium in animalia, naturali iure debitum, commiſſa culpa excidiſſe, Licet remanſerit vſus aliquis ac terror.

40 Non ſolùm terram, cui maledictum eſt, ſed reliquam omnem quoq; creaturam erga hominem poſt peccatum, vt prius, benignam non eſſe, idq; remanente natura rerum, ſed mutata gubernatione.

41 Propter idem peccatum ſic humano generi vniuerſo pœnas infligi; vt nemo prorſus à reatu huius pœnæ immunis fuerit, vel futurus ſit.

42 Non debuiſſe tolli pœnas ſeu pœnalitates eiuſmodi per Chriſti meritum, dum in hac mortali vita viuimus, ſed gratiam relictis magìs, quàm ſublatis illis, ſuperabundare.

43 Pœnas tamen primis parentibus irrogatas non ita ſingulis hominibus fieri communes, quin liceat, deoq; gratius ſit, aliter quàm manibus laborare, & matrimonium cum ærumnis ſuis declinare.

44 Angelos ad paradiſi aditum cuſtodiendum collocatos Cherubin fuiſſe potius, vt ſcriptura vocat, quàm alios ſic cognominatos, vt ſubditos. Ex cunctis enim ordinibus decere nonnullos mitti: ſalua nihilominus Beati Dionyſij authoritate.

45 *Hominem in ſtatu corruptæ naturæ ne morale quidem bonum nedū meritorium ad ſalutem, vel gratiam poſſe operari. neq; tamen opera ex genere ſuo bona, propriè loquendo peccata eſſe.*

46 *Deum ſtatim poſt parentum lapſum, ex immenſa ſua miſericordia, remedium fidei ſalutaris, & ipſis, & poſteritati prouidiſſe.*

47 *Nihil abſurdi eſſe, ſi dicatur Coniugij vſus in paradiſo terreſtri cœpiſſe, & futurū fuiſſe, quum nihil penitus vel libidinis vel turpitudinis habeat.*

48 *Deum nunq; creaturum fuiſſe hominem, niſi iuſtitia originali adiecta, ne vt monſtrum foret in natura.*

49 *Cain & aliorum adultorum reprobationem factam nō fuiſſe, quoad vltimum effectum, qui eſt damnatio, abſq; propria ipſorum malitia.*

50 *Ex dictis ad Cain liberum hominis arbitrium conſtare, per ſe quidem ad humanas tantùm actiones, ex genere bonas vel malas, cum gratia verò ad meritorias quoq; æternæ ſalutis ſe extendens, ſalua nihilominus & hominis dignitate contra Pelagium, & tam diuina præſcientia, quàm gratiæ integritate, contra Lutherum.*

51 *Deum non reſpexiſſe ad Cain, & munera eius ob peccatum, idq; non tam auaritiæ, vel negligentiæ, quam infidelitatis fuiſſe, videri ex Pauli verbis.*

52 *Reſpicientem vero ad Abel primùm, deinde & ad munera eius: ſignificaſſe opera ſibi non placere, niſi grata ſit operans perſona, quod non præſtat fides ſine charitate, contra Lutheranos.*

53 *Per punitionem Cain excommunicatorum ſtatum infoelicisſimum pulchrè aſſignari, cum omnium tum maxime hæreticorum.*

54 *Sententiam in Cain pronunciatam, & temporalem & æternam complecti damnationem. Aliquos itaq; à deo plane reprobari, ob inſignem peruerſitatem, quales potiſſimùm conijcere licet eſſe hæreſiarchas.*

55 *Prohibitam certis de cauſis occiſionem Cain nihil obſtare, quominus ſcelerati homines præſertim hæretici obſtinati, tanq; omnium pernicioſiſſimi, gladio poteſtatis, non temere portando tolli de medio debeant.*

56 *Cum dicatur Adam genuiſſe filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non minus hominem, quàm aliud quoduis animal generantem vniuocum cenſeri poſſe. licet animarum vtriuſq; longè diuerſa ſit natura & origo.*

57 *Scripturam hæc verba, Et mortuus eſt, inculcantem, nobis inſinuare deum non feciſſe mortem, ſed hanc potius tam voluntati eius, quàm naturæ ipſius conſtitutioni eſſe contrariam. Vnde etiam innaturalis dici poſſit.*

58 *Per filios dei ducentes filias hominum vxores non poſſe angelos intelligi.*

59 *Ex hoc loco apparere rationem, cur fidelium cum infidelibus prohibitum ſit*

coniugium, nec minus forſitan piorum cum impiis, vel malis chriſtianis vitandum eſſe.

60 *Centum & viginti annorum ſpatium pœnitentiæ, ante diluuium non vitæ humanæ præſcriptum eſſe.*

61 *Hanc vero communiter. 70. vel ad ſummum. 80. annorum periodo finiri*

62 *Lamech duas vxores accepiſſe, non narrari à ſcriptura tanquàm deteſtandum, & legi naturæ contrarium,*

63 *Corruptionem vniuerſæ carnis non ex reprobatione diuina, vel ſolo peccato originali, ſed ex electione mala contigiſſe, vt in coniugijs ſupradictis.*

64 *Omnes animalium propagabilium ſpecies in Arca Noe fuiſſe. longè tamen pauciores quàm nunc ſint, propter ſpecierum commixtionem, nec in illam ſine angelorum miniſterio introductas.*

65 *Animalia in arca mitia omnia fuiſſe, & vixiſſe herbis, idq; miraculo. A natura enim plæraq; ſæua & carniuora eſſe, quaſi ad dæmonum & hominum malorum ſpecimen atq; abominationem facta.*

66 *Diluuium vniuerſale neq; vi aſtrorum (vt quidam volunt) neq; per cauſas ſolas naturales fieri potuiſſe, neq; ſupercœleſtes aquas defluxiſſe, neq; terreſtres vacuos meatus reliquiſſe, ſed partem aeris rarefactam, & alteram in aquas verſam per angelos fuiſſe.*

67 *Terram diluuio infoecundiorem eſſe factam, ob eamq;, licet non ſolam, neq; præcipuam fortaſſe cauſam, permiſſum eſſe hominibus eſum carnium.*

68 *Arcum cœleſtem & ante diluuium fuiſſe, & naturaliter fieri, & dum fit ſignum eſſe diluuij non futuri per naturalem rationem: ſed non quoad ſupernaturalem, niſi deus promiſiſſet nunquam fore, ſignumq; eſſe voluiſſet.*

69 *Maledictionem Cham ab hæreticis incurri, eoq; grauiorem, quòd Eccleſiæ prælatos, patribus magis reuerendos, petulantiſſimè derideant, quorum vitia ſiqua ſint, deberent tegere, vt Sem & Iaphet patris ſui verenda.*

60 *Per Chanaan maledictum ipſum cham intelligi, non in ſua tantùm perſona, ſed in progenie quoq; puniendum, neminem autem puniri ob delictum alterius iuxta veram poenæ rationem.*

71 *Ædificantibus turrim Babel diuerſa diuerſis idiomata, per ſpecies ab Angelis inditas, dari potuiſſe, multa alia tamen poſtea humanitus inuenta, vel ex gentium inter ſe commertiis confuſa extitiſſe. Sed longè maius miraculum in Apoſtolis factum eſſe, ſingulis omnia diſtincte callentibus.*

72 *Abraham non tunc primùm, quum ſcriptura narrat, ſed & ante & poſt, tam*

per fidem, tum per opera in fide, & ex charitate facta deo placuiſſe, ac fuiſſe iuſtum.

73 Circuncisionem in ſignum Iuſtitiæ fidei Abrahæ, & alias multas ob cauſas, eſſe inſtitutam.

74 Cauſam, cur Sara promiſſo filio ridens, fuerit reprehenſa: non itidem Abraham, videri eſſe: quòd illa de potentia promittentis, hic de voluntate ſolùm adhuc hæſitaret.

75 Abraham & Iſaac vxores ſuas ſorores appellando, non proſtituiſſe, nec tentaſſe Deum, immo ſi aliter feciſſent, tentaturos potius fuiſſe.

76 Saram veram fuiſſe ſororem Abrahæ, non ex fratre neptem, nec illicito matrimonio ipſi iunctam.

77 Abraham, & alios Patres, diuino conſilio apud diuerſas gentes peregrinatos eſſe: vt vel ſic agnoſcere verum deum poſſent, & ad Chriſti fidem diſponi.

78 Promiſſum dei de non euertenda ciuitate propter decem iuſtos, affirmantis eſſe potius ſe ita facturum, quàm negantis reperiri illos poſſe apud Sodomorum ciuitates, vt voluit Auguſtinus. De his autem ciuitatibus ſolùm dictum eſſe.

79 Loth à Beato Petro iuſtum nominari, & nihilominus in multis peccaſſe, neq; repugnare hæc ſibi inuicem.

80 Sodomitas non temporalem tantùm, ſed æternum quoq; ignem meruiſſe, quamuis eſſent tempora ignorantiæ, vt ait Paulus. neq; propterea quòd vtroq; modo puniti ſint, derogatur ſcripturæ neganti deum bis idem punire.

81 Per Agar & filium pulchrè ſignificari Lutheranorum ſectam cum ſua prole, penitus ſeruilem, accerſita ſibi Ventris & Veneris neceſſitate. Et quòd Eccleſiæ vere dominæ ſubiici recuſet, populoq; verè libero inſultet, alius peccati ſeruus, meritò eiectã eſſe matrem cum filio & in deſerto continuè errare,

82 Vtrumq; verum eſſe, deum et nemine tentare (vt ait Iacobus) & nihilominus tentaſſe Abraham, vt hic aſſeritur, alioſq; innumerabiles tentare. Rurſus fidelibus et optãdum eſſe vt tententur, & orandum tamen, ne in tentationem inducantur,

83 Abraham ad filium immolandum perrexiſſe non affectu ſolùm obſequii diuini. qui facti conſiderationem poſſet auertere: ſed etiam certa quadam deliberatione adductum (vt innuit Paulus) quæ meritum tamen auxerit, potius quàm diminuerit.

84 Non licere petere ſignum à deo, niſi vt fecit ſeruus Abrahæ, per modum orãtis & optãtis ſcire dei voluntatem, vel ex diuino inſtinctu. Alioqui tentari deum, vel præſumi eius donum vt lutheranorum ſe habet fides.

85 Nomine concubinarũ intelligi vxores Abrahæ, vt aliis in locis. fornicationem verò, etiam ſimplicem, ſimpliciter prohibitam ſemper fuiſſe, contra Lutheranorum libidinem, Exemplo Iudæ malo malè fultam.

86 *Iacob in emendis primogenitis,& præripienda* Benedictione *fratris ſui,nec non &*
in gregibus,deluſo ſocero, acquirendis,ab omni etiam mendacij officioſi peccato immu
nem dici poſſe,& potius debere.

87 Ex *voto* Iacob *liquere, quòd* Vota *piorum ſimpliciter, aut etiam cum ali-*
qua conditione facta, Deo *placeant, inuitis,ſoli* Diabolo *ſe deuouentibus*, Lu-
theranis.

88 *Septennalem* Iacob *ſeruitutem pro* Rachele *obtinenda (ſi nondum obtinebat,*
vt nonnulli putant) leuem illi non immeritò viſam eſſe,idqꝫ etiam naturæ,ac vir-
tutis eſſe rationem potius,quàm appetitum ſequentis; quod maximè oſtendit Paulus,
de leuitate tribulationis,& gloriæ pondere inter ſe comparandis.

89 Laban *ab idololatria,* Rachelem *à furto,* Dinam *à curioſitate,* Simeon, & Leui *ab*
iniquitate non videri poſſe excuſari.

90 Ioſeph *narrantem ſomnia ſua,licet occaſionem daret fratribus inuidiæ, et ſceleris ſe-*
cuti, à ſcandalo tamen,& peccato liberum fuiſſe.

91 *Dicente* Iacob *ſe deſcenſurum ad filium* Ioſeph *in infernum,& alijs ex locis, con-*
uinci Hebræos,& Lutheranos *vocem* Hebraicam *pro,*Sepulchro,*ſemper accipi vo-*
lentes,& nuſquàm fieri mentionem de inferno in teſtamento veteri.

92 *Eundem non fuiſſe nec re, nec nomine dominum* Ioſeph,& Sacerdotem Heliopoleos,
cuius duxit in vxorem filiam: licet aliqui contendant.

93 Aegyptiis Sacerdotes *ſuos de publico ſuſtentantibus, & terras eorum vendi nolen-*
tibus argui:vt religionem,ita Sacerdotum *ſtipendia, & immunitates ad ius natura-*
le referri poſſe.

94 Ioſeph *diuino impulſu erga fratres ita ſe geſſiſſe, vt refert ſcriptura.*
Alioqui à peccato excuſari non poſſe, cum illos, tum patrem maximè af-
fligendo.

95 *Augurandi genus, quod ſimulauit* Ioſeph,*atqꝫ aliud quoduis,eſſe illicitum,nec mi-*
nus ſuperſtitioſum eſſe,quod Doctor *quidam defendendi cauſa adducit,* Exemplum
de Aſtrologicis.

96 *Ex iureiurando,quo aſtrinxit* Iacob *filium* Ioſeph, & *hic fratres, vt* Abrahaam
etiam ſeruum,oſtendi iuramentum per Deum,& *creaturas,aſſerendo,promittendo,*
vel imprecando, non eſſe illicitum.

97 Omnium Benedictionum Iacob *ſenſum principalem eſſe allegoricum, & in bene-*
dictione Iudæ *certum præfiniri tempus, quo venit* Meſſias Ieſus Chriſtus, *nihil ob-*
ſtantibus Iudæorum *quibuslibet commentis.*

98 *Luctum mortuorum in veteri,ac nouo etiam teſtamento laudari potius, quàm damna-*
ri: moderatum tamen, & fidei conſonum eſſe oportere. Itidem *de cura propriæ*
Sepulturæ,cum plurimùm referre poſſit.

99 *Ex verbis Ioſeph fratrum timorem mitigantis, impiè aſſeri à Lutheranis, Deum peccatorum authorem eſſe, quaſi omnia pro arbitrio ſuo gerentem, poſita in ſecundis cauſis omnimoda neceſſitate.*

100 *Quicquid præterea in expoſitione huius libri à præceptore meo R.* P*atre An- drea Fruſio traditum eſt, pro virili defendam: non tam propriæ cuiuſquam tuendæ opinionis cauſa, quàm excutiendæ veritatis, ad gloriam dei, qui eſt in ſecula benedictus. Amen.*

FINIS.